



Rucieński Joan. Chrysost. Remigium summae felicitatis ad aeternae beatitudinis portum a Divo Adalberto directum.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0004906

REMIGIVM

SVMMÆ FELICITATIS

Ad æternæ beatitudinis portum,

A

DIVO ADALBERTO,

Episcopo & Martyre, Patrono Poloniæ,
Per cruentos Martyrij latices, auspicatissimè
DIRECTUM:

ADMODÙM REUERENDO DOMINO,

D. ALBERTO ZYSZKIEWIC,

Hospitalis Ecclesiæ Połanecensis,
PRÆPOSITO:
Curato Xiaznicensi,
Ad recurrentem Diui Patroni solennitatem,
Amoris, & gratulatorij applausûs ergò

A

IOANNE CHRYSOSTHOMO RUCIENSKI, Połanecen:
In Alma Vniuersitate Cracouiensi, Artium & Philosophiæ Baccalaureo:

LYRICO CONCENTU

OBLATVM.

Anno Domini 1685. Die 30. Aprilis.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS.

VEctus, ſecundo flamine ſiderum,
Nantis Patroni, Regimium cano.
Tu Diua Pallas vela pande;
Fac doceas, celeuſma, vatem.

Felicitatis, carbaſa, proſperæ,
Dum ſacra vexit dextera, per ſui
Pontum Cruoris; quo natauit
Mortifero, labefactus, Auſtro,

ALBERTVS, horror gentibus impijs,
Tonantis vltor Numinis optimus,
Virtutis exemplum perenne,
Et fidei decus Orthodoxæ.

Tunc iam ſacratus Nauta Propontidis,
Ad tarda, cymbam, vela trahentia,
Seruos laboris deſtinauit,
Scilicet innocuam iuuentam;

Virtute plenam, quæ traheret ratem,
Diros per amnes, per mare, per vadum
Fluentis æui, temporiſq;,
Sidereum procul vſq; littus.

Te Dextra Diui Præſulis, inclyta,
Ad grata, celſi, carbaſa Numinis,
Primum vocauit glorioſè,
Vir celebris probitate mentis:

Nam vidit in Te, congrua nauticis,
Nauarchus Orbis, robora puppibus:
Vidit colentem, celſa, mentem,
Numina: vidit ebur decoræ

Virtutis; intra pectora, candidos
Vidit colores: Tu quibus orbitam
Ornes Olympi; quêis coruſcam,
Condecores pietate proram.

Te Sorte, Myſtes Magnus in æthere,
Inter tenellas Faſciolas adhuc
Elegit, inter vulgus, vnum
Rebus ab ingenuis probatum:

Vtin-

Posses carinam ducere cælicam,
Cum Pane diuino, per vndam
Sanguinis, in specie sacrati.
Hæsisse, fecit Te, lateri suo;
Deditq; remum, nauis eburneæ;
Cùm Te videret nauigantem,
Remige Iasonio potenter
Pulsando, metæ laurigeræ locum;
In quo phasellus iam tuus in gradu,
Stetit beatus, dura vincens
Fata, vadum comitata vitæ.
Tuæ fuerunt sortis, epidromi,
Quos sæua vexit Prussia, vortice,
Vir magne, pulchra laude, digne,
Elogijs decorande summis.
Ad Te carinam dotibus affluam,
Vexêre dulces Præsuleæ manus;
Laurus triumphales ferentem,
Mercibus æthereis onustam.
Faustè steterunt, littoribus, Tuæ
Classes onustæ moribus optimis,
Vitam vehentes candidatam,
Conspicuam grauitate morum.
Has nec Charybdes, nec PETREI sinus,
Nec mole grandi syculeæ petræ,
Nec scylla latrans, exerendo
Virus, erat remorata, morsu:
Tuas nec aures suauiter influens
Siren fefellit, vortice turbido,
Nec vicit æstus puritatem;
Quæ superûm decori sacrata est.
Imò volebant Pierides eam
Manere, casto pectore, per Tuum
Perenne seclum; quam nec vssit
Flamine sanguinolentus Auster.
Secura summi Cæsaris, & Tua
Fortuna, remo vecta volubili:
Tranquilla spirabant flabella,
Dum Zephyri Tibi flaret aura:

Afflant

Afflant odores Religio Tuo;
Quos in Patroni littore percipis;
Aræ Deorum conſecratæ,
Hos redolent nimiùm fragrantes.
Dicant ſacratæ Baſilicæ Tuæ,
Nuper litatæ, munere conſcio,
Et ære largo vindicatæ:
Hoc reſonent opus æuiternum
Delubra: clament diuitias datas,
Et Połaneci, Xiąznicíæ quoque.
Non ceſſat ædem, lingua diui
Pneûmatis, ad ſonitus plagarum,
Laudare; quæ iam corruerat ſitu
Nimis vetuſto; funditùs, & ſuper
Ornata turri, nuper à Te;
Ære tuo renouata durat.
Et ſi tacebo; deſinet haud tamen
In Æde Diui Militis, Exedra
Clamare laudes ſempiternas,
Eximio fabricata ſumptu.
Quid liberales commemoro vices?
Quid Muſa dextras munificas canit?
In ſubditoſq; cor benignum;
Quid refero facilemq; dextram?
En ipſa labris, ora loquacibus,
Temet colonis, propitium canunt:
Sunt & Clientes præmiorum,
Munifici documenta ſumptûs.
Mittunt benignas Numinibus preces,
Pro Te, Xenonis, decrepiti ſenes;
Dant vota cælo, corde prono,
Aſtra Tibi manibus trahentes.
Quêis Te, per Orbem, laudibus efferam?
Quibus ſonoris elogijs canam?
Dum pulchra virtus eſt tuorum
Eximia in bonitate morum:
Eſt candor alti pectoris intimus:
Es ipſe magnæ mentis, adorea:
Es inter omnes, Laureata
Ipſe corona Tibi laborum.
Præſul

Præſul rigauit, ſemen in arida
Terrâ, fluenti ſanguine corporis;
Quod inter aras, meſſe ſacra,
Æthereis ducibus triumphat.
Non eſt, Patronus, candor Olympicus,
Fruſtratus in Te; dum Tibi carbaſa,
Commiſit Antiſtes, regendæ
Baſilicæ, populiq; causâ:
Bellè gubernas lintea Præsvlis;
Ad ſacra templi lypſana nauigans,
Labore diuorum; citatam
Exonerans precibus liburnam.
Non ſic Vlyſſis docta gubernia
Fuêre quondam, veliuolo mari;
Non ſic Achilli blandus Auſter,
Herculeam properando metam,
Nimis ſerenas flauit Ethæſias;
Non ſic, Lethæi fluminis Orpheus,
Cernebat Euros peruolantes,
Eurydicen reuocans baratro:
Quos Vir; phaſellum remige dirigens,
Sui Patroni, ſentit in alueo
Felicitatis: quàm Notorum
Temperie fruitur ſerenâ
Nauarchus orbis, naufragus in mari,
Furente mundo! dicat eburnei
Nauclerus oris; prædicetuè
Anchora iudicij beata,
Ventos ſecundos: magnificentia
Præclara narret: mira modeſtia
Greſſus amænos, dicat orbi;
Quos habet ingenuus Vir iſte;
Et in ſacrato pectore, menteq;
Virtutis amplæ; dote ſuperflua
Gaudendo fortunæ: Virorum
Nobilium fateantur ora.
Aſſurge felix, diues honoribus
Prælate magnis: gentibus intones,
Vndis natando, cum carina
Præſulei ducis, ac Patroni.

Remota Thule ſentiat optimos
Nautas, & Iſthmus frugiferam ratem,
Sinus marinos permeantem
Noſcat; & ipſa Thetys Tuomet
Remo ſecundet; ducat ad æthera
Puppim beatam fructibus; & locos
Neptunus anguſtos ſerenet;
Nereides pia vela pandant.
Delphinus, actam, turbine, roboret
Proram; Patronus, quam Tibi candidus;
Quando ſupremo tactus ictu,
Margine Pruſiacâ reliquit.
Portum perennem (pacis vbi loca
Tranquilla regnant, neſcia turbidæ
Sortis) penetra; vince duras,
Fauſtus Olympiadum procellas.
Tuum, remotas nomen eat Rhodos:
Iam fama fauſtas peruolet Inſulas:
I Nauta ſecurum per Orbem,
Elyſios prope ſtando campos.
Scyllas latrantes, nauigio ſacro
Deuince; pontos, ſyrtibus arduis,
Oppone molles; inter Iſthmum
Non titubes Palinure felix:
Duc fauſta, terris, ſecula, floridus;
Quò maior ætas imminet; hanc DEVS
Det longiorem; nec minetur
Terribilis Libitina falce.
Annos ſecundos Viue diu precor;
Sortis, per æuum, neſcius, arduæ:
Prælate ZYSZKIEWIC celebris,
Suſcipe remigium Patroni.

